



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De vltimis duobus Præceptis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

contra iusticiam, rustici, & pueri, & milites, & similes, nec tenentur ad restitutionem, sæpè tamen peccatur contra Charitatem, iuxta dispositionem animi iniuriâti. Qui sic grauitè alium offendit; tenetur illi reconciliari petendo veniam, aut ostendendo signa amicitia, aut quid simile, iudicio Prudentum. Agunt de contumelia, & alijs illi adnexis *Filliuc. loc. cit. c. 3. Azor. tom. 3. lib. 13. c. 5. Tol. l. 5. cap. 9.*

II Superiores, si in aliqua iniuria excellerint, reprehendendo subditos; non tenentur petere veniam: sed alio modo reconciliari, ostendendo alia signa beneuolentiæ, &c.

DE VLTIMIS Duobus Præceptis Decalogi.

De Delectatione morosa.

I **H**is ultimis præceptis continetur prohibitio mali desiderij, siue circa bona alterius, siue circa

N 4 alie-

alienam mulierem, aut non suam. Et quidem quoad primum, desiderare rem alienam iniuste possidendam, est mortale, si adsit quantitas materiæ, & perfecta deliberatio. Et vniuersaliter illud ipsum, quod prohibetur præcepto de non furando; prohibetur etiam quoad interiorius desiderium iniustæ acceptionis, aut damnificationis. Vnde, si quis desideraret, vt bona aliena essent, aut fierent sua, modo tamen licito, & sine iniusto damno proximi, seclusis alijs extrinsecis quæ possent tale desiderium vitare: vt si fieret ex odio personæ, aut inuidia, &c. non est peccatum, saltem grate, sed vel otiosum desiderium, vel veniale.

2. Similiter dicendum est circa desiderium deliberatum alienæ mulieris, aut non suæ ad finem libidinis: quod potest contingere dupliciter. Primum in ordine ad opus: cum quis desiderat mulierem ad peccandum reuera cum ipsa: & tunc peccatum reducitur ad eorum speciem, ad quam pertinet ipse actus, si fieret. Et idem dicendum est de alijs speciebus luxuriæ: & consequenter similia desideria, & delectationes differunt

runt specie, sicuti & actus. Aliquando consummatur desiderium in simplici complacentia illius obiecti mali, sine ordine ad opus; & hæc dicitur propriè simplex delectatio morosa: quæ quamuis possit esse in omni alia materia; maximè tamen pertinet ad materiam castitatis, quia hic solet esse cõmunior. Cum ergo aliquis mente, & imaginatione apprehendit aliquam turpem, & inhonestam cogitationem, sine ordine ad opus externum, & deliberatè delectatur in illa; est mortale. Et quidem probabile est esse vnus speciei circa omnes fœminas: quia hic fit præcisio à conditione fœminæ, quòd sit virgo, aut vxorata, &c. Differt tamen specie, si sit circa viros, seu bestias, &c. Dicitur autem morosa, quia est deliberata, & cum plena aduertentia, & talis solet diu durare: quamuis, etiam si esset in instanti, esset mortale, si esset plenè deliberata.

3 Hic etiam aduertendum est, quòd interdum potest contingere, vt obiectū turpe habeat aliquas circumstantias, quæ, per se consideratæ, non sint turpes, aut etiam aliquo modo acceptæ non

N s sine

sint turpes, vt modus aliquis, industria, inuentio, & similia: & tunc si quis præcisè delectaretur de illo obiecto, ratione tantum harum rerum; non est mortale, & interdum nec veniale: quod maximè solet contingere in alijs materijs non contra castitatem.

4. Secundò etiam aduertendum est in genere de delectatione morosa, quòd obiectum turpe potest se habere dupliciter. Primò esse turpe, seu malum, solum, quia prohibitum aliqua lege positiua: vt venatio Clericis, ferre arma, ludere aliquo honesto lusu, & similia. Secundò potest esse prohibitum, quia malum ex se: vt furtum, & adulterium, & homicidium, &c. Et quidem delectari in his secundis obiectis est peccatum delectationis morosæ, modo dicto: & iuxta qualitatem, & quantitatem materiæ, est qualitas, & quantitas peccati: at verò delectari in primis obiectis, per se consideratis; non est mortale, nisi delectatio sit de ipsa re, in quantum prohibita: quod non solet facillè contingere. Vnde Clericus si delectetur de apprehensione, aut lectione alicuius

vena-

venationis sibi prohibita, abstrahendo tamen à prohibitione; non peccat ex hoc capite delectationis morosa. Et ratio huius est, quia in his casibus potest præscindere obiectum à turpitudine, non autem in primis. Vnde si quis de Veneris cogitaret de esu carniū præcisè, & delectaretur de tali cogitatione, non quidem in ordine ad dies prohibitos comedendi; non peccaret. Et sic de similibus. Agunt de morosa delectatione *Tolet. l. 9. c. 14. Azor to. 3. l. 2. c. 25. Less. l. 4. cap. 3. dub. 15. Fillius. to. 2. tr. 30. c. 10.*

§ Hinc deducitur esse peccatum mortale legere libros inhonestos, & continentibus res turpes, & malas. Primò, si quis legendo expertus sit se delectari de rebus turpibus tali delectatione morosa, quæ sit peccatum mortale. Secundò, si se exponat probabili periculo talis delectationis. Tertio, si ex tali lectione aliquod aliud malum graue sequatur. Si verò legantur ij libri solum propter linguam, aut artificium poëticum, aut inuentiones, & industrias, & fabulas ingeniosas, præscindendo ab omni periculo, aut turpitudine; nõ erit peccatum, saltẽ

mortale. Idem proportionaliter dicendum est de Comædijs, & alijs æctionibus turpibus, & picturis. Agunt de Comædijs *Filliuc. tom. 2. tr. 30. c. 10. q. 4. & 6.* *Bonac. de Matrim. q. 4. p. 9. n. 11.* *Sanct. de Matrim. lib. 9. disp. 46. num. 41.*

*Aliqua notanda circa prædicta
Præcepta.*

6 **C**ONTRA supradicta præcepta non solum peccant ij, qui contra illa aliquid committunt, vt principales agētes, sed etiam multi alij. Et primo cooperatores. Vbi aduertendum est, quòd cooperatio ad actum malum, siue sit proxima, siue remota, potest esse duplex. Alia est, vel absolutè, vel saltem hic, & nunc per se ordinata ad malū: & hæc regulariter est peccatum. Secunda est per se indifferens, sed vitio alterius fit, vt ad illam sequatur malum: & hæc regulariter excusat à peccato.

7 Ex his sequitur, quòd qui fert literas amatorias adulteri ad aliam, sciens illas continere res turpes; peccat ferendo: si verò nesciret, aut literæ essent indifferentes; non peccat. Item *Caupones,*
qui

qui indiscriminatim diebus prohibitis offerunt carnes suis hospitibus. Item qui dat ensem furioso, sciens illum abuturum ense, & similes, peccant.

8 E contra verò nautæ, qui cymba ferunt hominem ex vna in aliam ciuitatem more sibi solito; etiam si ille in ea ciuitate sit aliquid mali operaturus. Itē qui sceminam portant in sella ex vna in aliam domum, exercentes officium suū: etiam si dubitent, aut sciant illam in malum finem illuc ire, & similes, excusantur à peccato: quia eorum operationes ex se sunt indifferentes, licet malitia aliorum sequatur malum. Et hoc pacto multi famuli, & famulæ excusantur à peccatis in seruitijs exhibitis suis dominis, licet illi abutantur talibus seruitijs: in ijs scilicet operibus, quæ ex se sunt indifferentes, & exhiberi solent à famulis.

9 Excusatur etiam à peccato quicumque cooperatur alieno peccato ex tacito, vel expresso alicuius consensu, qui sufficiat ad excusandum talem cooperatorem à peccato: quòd si talis consensus non sufficeret; non excusabitur: v.g. si quis vellet furari pecuniam alteri, sed

N 7 non

non potest nisi prius illum occidat, & omnino illum occideret, nisi aliquis adiuuet illum ad furandum; potest alius sciens hanc eius voluntatem adiuuare ad furandum, ne occidat: quia, respectu huius adiutoris, talis ablatto pecuniæ non est inuito domino, sed maxime gratias illi ager, postquam resciverit. Hoc autem intelligendum est, secluso scandalo, & periculo eius, qui adiuuat. Si autem aliquis iuuet aliquem ad occidendum, etiam si fingeremus, quod ille, qui occiditur, velit, ut iste adiuuet, ut citius occidatur; non propterea hic adiutor excusabitur à peccato: quia, cum homo non sit dominus suæ vitæ; hic consensus occisi non sufficit ad faciendum, ut occisio etiam ex parte adiutoris, non sit peccatum. & sic de similibus.

10 Similiter peccat contra eadem præcepta, qui dat consilium ad peccandum. Vbi aduertendum est, quod consilium potest esse absolutum, vel conditionatum, siue explicitè, siue implicitè. Et quidem primum numquam licet: secundum aliquando licet, scilicet ad impediendum

endum maius malum, quod quis paratus est facere: v. g. aliquis vult adulterari, licet consilium dare, vt fornicetur: posito enim, quòd omnino velit peccare; melius est, seu minus malum simplex fornicatio. Similiter, si quis velit alium occidere; licet illi consilium dare, vt eum nõ occidat: sed aliqua minori iniuria afficiat, posito quòd velit omnino aliquid mali illi facere. Et quamvis interdum in consilio non exprimatür conditio, quæ securius exprimi debet, nempe posito, quòd quis velit malè agere; tamen semper subintelligitur tacitè: & ita, qui dat consilium, non dat absolutè consilium ad malum.

11 Ex hoc ferè capite exculantur à peccato Principes, & Magistratus, & suo etiam modo Patres familias, qui permittunt suis subditis aliqua peccata ad vitanda maiora: cum non possint facile omnia prohibere, aut impedire efficaciter. Agunt de Cooperatoribus prædictis, ex varijs occasionibus *Azor. tom. 3. l. 2. c. 10. &c. & lib. 4. cap. 9. Less. tom. 2. sr. 32. 6. 3.*